

His rebus confectis ciues in regis Caroli verba per iusurandum adiguntur. In ea obsidione Arthurus Richemontius Francorum equitum magister, ac ducis Britanni frater, Ioānæ sese obtulit, si in antiquum locum gratiæ atque honoris rex restituat: cum expeditis equitibus (quos mille quingentos secum adduxerat) veterem suam fidem magno cum reip. Francicæ vsu tam dubijs temporibus præstiturum cōfirmat, atque in eam partem iturum, ibique futurum, vbi eum rex cōstituisset, atque esse voluisset. Qua in re cùm Allenconius & cæteri duces vades se præberent, Ioanna eum retinuit, obliuionem inconsultæ rebellionis à rege accuratis precibus se impetraturā pollicita. Dum Franci ad Baugēsiacum expeditionem parát, Talbotus, Descallēus, & Foscotus summæ inter Anglos potetiæ Lutetia egressi cū quatuor hominū millibus, Baugensiensibus subſidio veniebant: qui cùm in itinere quo in periculo præſidium atque arx versarentur cognouifſent, pluribus carris, ac magna vi omnis generis commeatus, cum impedimentis (quæ secum age-re ac portare non poterant) Stempis cum præſidio depositis, nihil ad celeritatem sibi reliqui fecerunt. Sed accepto deditioſis nuntio, ex itinere Magdunum diuertunt, atque pontem magno impetu oppugnare cœperunt. Franci contemptis superatísque eodem in loco pāuldō antè hostibus, cùm aduentare primum exercitus agmen intellexissent, & pudore cedendi, & cupiditate per se

F iiij

*Angl' Paris,
os occupans*